DECRETO AMPLISS. ICTORUM ORDINIS CELEBERRIMAE BASIL. ACAD. PRO INSIGNIIS AC...

Theodor Voss, Valenti Gonzaga



POSIT. I.

APPELLATIONVM uſus ut eſt frequens & antiquiſsimus, ſic quoque neceſſarius & utilis in omnibus judiciis tàm publicis quàm privatis, quippe cùm aut iniquitatem aut imperitiam judicãtium ſæpè corrigat & emendet.

II.

Eſt autẽ Appellatio ab inferiore judice ad ſuperiorem ratione gravaminis illati vel inferẽdi gradatim facta provocatio.

III.

Species huius duæ ſunt, Iudicialis & Extrajudicialis, quarum illa à ſententiis & interlocutionibus, hæc à decretis & actibus extrajudicialibus interponitur.

IV.

Appellare poſſunt condemnati, ſive unus, ſive plures, & omnes tàm ſuo quàm alieno nomine, dummodò eorũ interſit ſententiam injuſtè ſeu nulliter latam retractari & in melius reformari.

V.

Procurator ſive generaliter, ſive ad unam cauſam datus rectè provocat. Num verò appellationem interpoſitam proſequi teneatur? Aſſero, ſed ſub diſtinctione.

VI.

Hinc de marito in diſquiſitionem venit, An nomine uxoris ſine ſpeciali mãdato agere litemq; proſequi poſſit? Quod in paraphernalibus & dotalitiis: in receptitiis verò bonis non niſi p̃via cautione de rato receptũ exiſtimam⁹.

VII.

Et licèt uxor pro marito abſente agere vel appellare nequeat, tamen pro libertate & in ſuprema Curia pro liberando conjuge captivo admittitur.

IIX.

Controvertitur quoque, Vtrùm dominus pro subditis suis agere vel eos in judicio absque mandato defendere posit? Quod adhibita distinctione affirmandum censeo.

IX.

Manifestissimi juris est, quemlibet favori suo renunciare & jurisdictioné prorogare posse: Vnde si quis ante sententiam in judicio professus fuerit se non provocaturum, indubitatè provocandi auxilium perdidit.

X.

Quinetiam intercluditur via provocandi ob contumaciam & ex eremodicio condemnatis, spontè confessis & convictis simul ob delictũ quod statim puniri propter atrocitatem publicè intersit, cuiusmodi est latrocinium, seditio, cædes, veneficium, adulterium, raptus, &c.

XI.

Admittitur appellatio regulariter ab omnib. judicibus tàm ordinariis quàm delegatis, Non verò à Principis, nec à Præfecti Prętorio, nec à Senatus, nec ab arbitrorum sententiis, ut nec ab Executore, nisi modum excesserit, appellari posse, & jure & constitutionibus cautum est.

XII.

Neque à sententiis Cameræ Imper. provocare fas est, jure tamen communi supplicationis beneficiũ, cui hodiè in Imperio affine Revisionis remedium, succumbenti superesse extra disputationis aleam est positum.

XIII.

Non inconcinnè hîc quęritur, A' sententia Ecclesiastici in causa profana lata detúr ne appellatio ad Cameram? Num verò à Principe vel Comite Imperii extrajudicialiter gravante ad Cameram appelletur? Vtrobique distinctione nos expediemus.

XIV.

Nobilis est q̃stio, An Dux, Comes posit pręscriptione sibi

ſibi acquirere, ne ab eo ad Imper. appelletur? Negativam tanquam juri magis conſentaneã ꝓpugnare conabimur.

XV.

Cæterùm appellatio jure Civili per gradus & immediatos ſaltus ab inferiore ad ſuperiorem regulariter dirigenda eſt, licèt de jure Canonico omiſſo medio ab ſuperiore interpoſita valeat.

XVI.

Quid ergò ſi judex proximior medius juſtitiam manifeſtè & expreſsè deneget, vel cauſam ſpontè ad ſuperiorẽ remittat aut aliis ex cauſis ſuſpectus vel inhabilis eſſet? Huiuſmodi caſibus omiſſo medio judice gravatis provocationis adminiculum competere concludo.

XVII.

Quamvis de jure Can. à quolibet gravamine indiſtinctè appellare liceat, lege tamen civili appellatio ab Interlocutoriis non niſi in caſibus à jure expreſsis permiſſa eſt.

XIIX.

Nec tantùm in Civilib. ſed etiam Criminalibus de jure com. appellãdi facultas eſt, quamvis de cõſuetudine quadam generali in Imperio in Criminalib. ſecus obtineat.

XIX.

Vtrùm autem in Camera ad deducendam nullitatem decernatur Citatio? In affirm. ſum pronior, modò judex Criminalis immediatè Imperio ſubjectus ſit.

XX.

A' mulctæ impoſitione appellari poſſe cum Bart. & Mynſ. ſtatuo.

XXI.

Nec ſilentii pede hîc prætereundum, Cuiusvis cauſæ appellationes ad Cameram non devolvi, niſi ſumma Privilegium ſuperet aut Ordinationi Cameræ cõformis ſit.

XXII.

Hinc viri docti invicem velitantur, Num ſummæ in-

competentis exceptio etiam post punctum devolutionis ab Appellato opponi posſit? & an à judice ex officio iſtiuſmodi nullitas ex defectu jurisdictionis promanans attendi debeat? Affirm. æquior & verior videtur.

XXIII.

Non uſquequaq; expeditum eſt, Vtrùm pro fundanda tuendaq́; jurisdictione, cùm Privilegium ſummam non excedat, cenſus ſive penſiones ceſſæ cum ſorte principali cumulari queant? Affirmativam legum textibus & authoritate Dn. Mynſ. & Gail. adductus amplector.

XXIV.

Ceſſat tñ hęc ordinationis ſumma in cauſis variam pro cuiuslibet affectione æſtimationẽ recipiẽtibus, utpote in actione injuriarum ac in cõtroverſiis annuorũ redditũ, ſervitutũ, jurisdictionũ, aliorumq́; jurium incorporaliũ, necnon quoad Reum Cameræ immediatè ſubjectum.

XXV.

Verùm num à poſſeſſorii judicii ſententia appellare liceat, difficilis eſt & in praxi quotidiana frequẽs quæſtio? Negat. placet quoad momentaneum poſſeſſorium tàm quoad effectum ſuſpenſivum quàm devolutivum. Affirm. quoad ordinarium ſaltèm quoad effectum devolutionis.

XXVI.

De jure Canon. appellationes à ſententia in quolibet poſſeſſorio legitimè interpoſitæ recipiuntur.

XXVII.

Interponitur appellatio à definitiva vel in continenti viva voce coram judice à quo apud acta pro tribunali, vel ex intervallo in ſcriptis.

XXIIX.

Ab Interlocutoria aut mera & ſimplici aut vim definitivæ habente: Illa ſive in continenti ſive poſt intervallũ in ſcriptis nominatim expreſſis cauſæ gravaminib. Hęc non aliter atq; ab ipſis definitivis appellatio inſtituenda eſt.

XXIX. Ap-

XXIX.

Appellanti, si judicis à quo copia haberi, vel ob violentiam justam is adiri nequeat, appellationem coram superiore ad quem in scriptis prosequi permittitur.

XXX.

Sed si neutrius copia detur? Et appellat. per ꝓtestationẽ coram Notario & testibus interpositã subsistere assevero.

XXXI.

Omnis a. appellatio sive judicialis sive extrajudicialis à definitiva vel Interlocutoria, intra decendium, nisi gravamen fuerit continuũ, à die, hora latæ sententiæ, adeoq; de momento in momentum computando interponitur.

XXXII.

Quid si undecima die ꝓvocatio instituta fuerit, an sententia in rem judicatã transiisse dicatur? Neg. communis est & præjudiciis Camerę confirmata, dummodò appellationem in Instrumento ante horam & momentum sententiæ prima die latæ interpositam esse exprimatur.

XXXIII.

Estq; hoc tempus decendii continuum, ita ut solennes etiam ferias includat, neque partium compromisso, nec judicis permissione extendi possit.

XXXIV.

Lubet hîc indagare, Vtrùm à sententia quantumcunq; conditionali appellandum sit vel potiùs expectandus eventus? Et intra decendiũ à tempore ꝓmulgationis sententiæ provocandũ Mynſ. & Gail. aiunt, quib. subscribo.

XXXV.

Appellatione interposita apostoli sive literæ dimissoriç intra terminum juris nempe 30. dierum vel hominis petendę sunt, quas nisi appellans instanter & sępiùs petitas introduxerit, appellatio deserta efficitur.

XXXVI.

Quod tamẽ ex Ordinatione Camerę Imp. *p. 2. tit. 30. §. 1.* prorsus non est necessarium, sed omitti impunè potest.

XXXVII.

Introducendæ appellationis tempus de jure communi hodie in uſu non eſt, in Ordinatione tamen Cameræ ſex menſes introducēdæ appellationi (excepta ſpolii cauſa) conſtituti ſunt, qui etiam expreſſo partium conſenſu & à judice appellationis prorogari poſſunt.

XXXIIX.

Tempus ꝓſequendæ & finiendæ appellationis annus eſt, aut, ſi juſta cauſa interceſſerit, biennium, quo etiam tranſacto appellationis cauſa non finita rata manet ſententia, licèt in Cōſiſtorio Principis regulariter huiuſmodi fatalia proſequendæ appellationis ob multitudinem cauſarum non attendantur.

XXXIX.

Effectus appellationis eſt, quòd ea pendente ſententia ſuſpenditur, judici à quo quaſi manus conſtringuntur, ne quid amplius in cauſa innovet vel attentet; Ab Interlocutoria verò non aliter niſi Inhibitio decreta ſit.

XL.

Appellatio ſi fuerit deſerta. judex à quo ſententiá ſuam exequetur; ſi autem non fuerit deſerta, judici ad quem incumbet executio.

XLI.

At, an deſerto appellationis beneficio de nullitate ſententiæ adhuc principaliter agi poſsit, nodus eſt diſcuſſione dignus? Affirmantium partes in me recipiam.

XLII.

Colophonem imponant hæ q̄ſtiones: Vtrùm ſi partes utrinq; ab appellatione interpoſita diſceſſerint, poſtmodùm communi conſenſu ad appellationem redire eamq; proſequi poſsint? Et an remota appellatione pacto nullitas cenſeatur ſublata? Negativam in utroq; membro defendere placet.

FINIS.